



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Computo Ecclesiastico. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

3 Prohibet, ne in Vrbe imprimatur, nisi in Vaticano; extra Urbem iuxta exemplar Vaticanum; & de licentia Inquisitorum, vel Ordinariorum impositis pœnis spiritualibus, & pecuniarijs; aliterque in posterum impressa Breuiaria interdicit, ac prohibet.

4 Inquisitores, & Ordinarios pœnis inflictis instruit; qua ratione approbare debeant impressa.

5 Tolerat in gratiam pauperum clericorum impressa Breuiaria ante eiusdem recognitionem, quoad usum, & vt vendi queant, indulget.

6 Publicationem Bullæ mandat cum solitis derogationibus, & clausulis.

7 Urbanus VIII. Pontifex Max. adhibitis alijs peritissimis viris (& me minimo inter eos, qui & adfui Clementinæ recognitioni) eadem se prosequutum esse asserit, quæ prædecessores inchoauerant: significat deinde ea, quæ acta sunt in Breuiario nuperrimè recognito: Prohibet, instruit, tolerat, vt supra num. 3. 4. 5. edita Bulla initio Breuiarij posita.

8 Certè ad hanc vsque diem Breuiarium non est editum tot numeris absolutum.

De Computo Ecclesiastico.

Cap. IV.

Agitur initio Breuiarij de Anno, & eius partibus, de Quatuor temporibus, de Nuptiarum tempore, de Cyclo decemnouennali, de Epactis, de Nouilunijs, de Indictione, de Festis mobilibus, additis Tabellis, perpetua, & temporaria, antiqua, & noua reformatis, quantum satis esse videtur pro captu communiorum ingeniorum. plura qui desiderat, legat *Guliel. Durandum in suo rationa. diu. offic. lib. 8. toto.*

2 Ea sunt præcipuè notatu digna, quæ ad annum Bissextilem formandum spectant. nam singulis quaternis annis constituitur dies in Mense Februario, qui dicitur compositus ex 24. horis, nempe (sex cuiuslibet annorum quatuor. excipe quod pauci norunt) primum, secundum,

& tertium centesimum annum, qui occurrunt intra spatium quadringentorum annorum, vt expressè habetur in *Bulla Gregorij XIII. de Reformatione Calendarij edita anno 1582.* quare, sicut annus proximè præteritus 1600. fuit Bissextilis, ita erit etiam Bissextilis annus 2000. qui verò sunt medij 1700. 1800. 1900. non erunt Bissextiles, ne redeat annorum confusio.

3 De Quatuor temporibus agemus in proprio de Tempore.

4 Pascha celebrari debet in die Dominico qui proximè succedit decimequartæ Lunæ primi mensis, idest Martij, ita tamen, vt, si decimaquarta Luna cadit in Dominicum diem, Pascha nostrum celebretur in sequenti Dominico die, ne conueniamus cum Hebræis.

5 Constituto Paschatis die facile decernuntur Festa mobilia, ita dicta, quia mouentur ad motum Paschatis, & sunt, Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima, quæ precedunt Paschatis Festum; Ascensio, Pentecostes, Festum Trinitatis, & Corporis Christi quæ sequuntur; de quibus egimus tomo primo, & infra agemus in Proprio de tempore.

6 Aduentus autem non habet primum diem certum, sed eum diem Dominicum; qui propinquior est Festo S. Andree, & loco citato explicauimus.

De Calendario. Cap. V.

Calendarium à Calendis dictum est, Calende verò primus dies Mensis est à *καλεω*, idest, voco; tunc enim Pontifex calato, hoc est, vocato populo, quot dies à Calendis ad Nonas superessent, pronunciat, *Plut.* Candelaria quoque dicebantur Tabulæ, ab obseruatione singulorum mensium, vt Diaria à singulorum dierum ratione. & nos in singulis mensibus obseruamus Festa Christi Domini nostri, & Sanctorum. *Durand. lib. 8. cap. 4.* explicat Calendas, quasi colendas; quia tunc erat semper lunoni festus dies primus, ergo Calendarium, & Colenda-